

1570 que ad cum videndum civitate, quam curiosa pervestigandi sollicitudo, & rei novitas attraxerant. Principe, ac Patribus capite proclinato salutatis, Ducis vestem exosculatus, cum sedisset, Selymi, ac Mehemetis literas exhibuit, quibus Regis sui mentem, quæque ab eo poscerentur, contineri edocuit. Illico respondetur, versis in nostratam sermonem literis, Patres Selymo, Mehemetique rescripturos, atque ut reverti statim posset, ei ad triremem rescriptum perferri iussuros. His auditis, stupore defixus Cubates expalluit, Regisque, ac Basæ literas sermone subsecutus, quæ ad Cyprum petendam Selymum impulissent, commemoravit. Tum decreto superioris diei perlecto, & per Michaellem Membreum, Reipublicæ interpretem, Turcico idiomate exposito, an loqui sibi liceat, Cubates petit. Annuentibus Patribus, subdit: *A Mehemete sibi injunctum, Reipublicæ significet, mille navigiorum classem educere Regem Hellesponto posse; se tamen pro pace instauranda sequestrem futurum.* Cum ad ea nihil responderetur, adjecit; *In curiam sibi venienti nullam a plebe, quod ad Principem, ac Patres ventitaret, illatam injuriam fuisse; ne secus sibi in reditu accidat, cum ingentem multitudinem frementem, torvisque in se conversam oculis circumspexerit, ut caveatur, postulare.* Illum igitur, ut iratæ plebis convicia, ac probra evitaret, per ostium magis abditum emitti placuit. Literæ, quas Byzantium perferret, statim delatæ, demptis, ex Senatus decreto, titulis, qui Ottomanorum Regum elationi, ac superbix haud impares earum fronti præfigebantur, nempe: *Serenissimo & Excellentissimo Selyn Sach, Maximo, & Inviectissimo Regi utriusque continentis Asia, & Europæ, Arabum, Persarum, Syriae, atque universæ Aegypti, &c.* Tunc enim ea tantum inscriptione, *Serenissimo Selyn Sach, Turcarum Imperatori*, insignitæ fuere; eademque, qua accesserat, triremi, Epidaurum, Senatus jussu, legatus revertitur. Ex Cubatis legatione universos civitatis ordines tanta indignatio cepit, ut nemo esset, qui non intimis exardescens sensibus, arma, bellum, faces in Turcas conclamaret; atque inter cetera id prope incredibile accidit, ut tam difficile, atroxque cum potentissimo hoste bellum, cunctis Patrum suffragiis, quatuor tantum ex ducentis in alia euntibus,

*Senatus titulos Selymo de more literis appositos demit.*

*Venatorum mira in Turcas indignatio.*